hac perfectionum, atque talentorum conjunctione, quæ Oratori admirationem conciliat; non ideo tamen ex hoc loco fert animus texere Magni hujus Sancti panegyricum, qui omnem convertendarum animarum vim hausit a zelo ardenti, quo cor illius æstuabat, ita ut pro hoc Prædicatoris titulo, cujus in exemplum Sanctum hunc nostrum hodierna die proponiturus sum; pro hoc, inquam, titulo, qui cum Apostoli munere potest confundi, intelligatur homo a Deo missus, ut populis annunciet verbum suum, ut his divinas voluntates aperiat, ut eos de Evangelicis institutis eruditat, & eos de ipsorum erroribus revocet, & in vias salutis restituat. Prædicator hic igitur, S. Paulus ait, præstantissime ornatus fuit universis hisce dotibus; & Deus, qui illum tanquam novum elegerat Apostolum populorum conversioni destinatum, contulit illi large, effuseque omnes perfectiones necessarias ad obeundum pro dignitate ministerium illud sublime, ad quod fuerat destinatus, eique zelum, ac vim superiorem tribuit, quonam decertandum erat illi adversus tantæ pertinaciæ hæreticos, ut igneo prorsus viro opus esset ad extorquendas animas Ethnicis ipsis pertinaciores. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Festa S. Dominici inter minima infantiæ proprium ad pietatem, & sancta institutione excultum.

S. Dominici mater re adhuc integra assecuta non est mysticum symbolum, quo sibi videbatur utero gestare catulum cum ardenti face, qui universas terrarum orbis inflammabatur: sed tunc perspicue intellexit hujus somnii sensum, & explicationem, ubi in puero animadvertit fundam pietatis, magnum aliquod portendentem, naturam in bonum promam, & sanctas propensiones, quæ in virtute longius erant processuræ, quandoquidem septimum agens annum jugi oratione conjunctus erat cum Deo, & in corpusculo adeo tenello, nullæ erant tam asperæ austeritates, quas exercere jam non incepisset; de lectulo molli assurgebat ut vel humi cubaret, vel noctis partem in oratione traduceret. Profecto si de puerorum studiis, cum ex mero agunt naturæ impetu, licet ferre conjecturam de divinis Providentiæ consiliis, & de muneribus, ad quæ destinati sunt, quemadmodum S. Athanasius ostendit se magnum futurum Episcopum, cum inter cœtus pueros visus est Episcopari, hoc ipsum dici potest de S. Dominico, qui conjecturam adstruxit a teneris unguiculis, ad quod ministerium divinitus evocaretur ex prædicationibus ejusdem ætati, & captui accommodatis, quas in sodalium corona recitabat, & ex voluptate, qui perfundebatur Dei Verbum annuncians. Ratio, quæ mox aperuit magnitudinem, & sanctitatem hujus Ministri, effecit, ut ipse quæreret, & quæsitis uteretur omnibus mediis officii hujus pro dignitate obeundi; ac ideo quamcunque gereret curam scientiarum divinarum, simul & humanarum addiscendarum, potissimum illius studium, & præcipua occupatio erat semet sanctificare, & primum id exercere, quod mox aliis erat traditurus juxta illius exemplum, cujus legem, & dogmata erat prædicaturus, qui inceptit primum facere, & mox docere. Noverat ille facto vim ac pondus addere verbis, alioquin Prædicatoris vocem sonum esse, qui in aera evaneſcit: & ipsum Prædicatorem, teste Paulo, esse æs tinniens, quod percussum, strepitum reddit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Vita dura, & austera quam S. Dominicus agebat.

Legimus quidem complures Sanctos vitam duxisse austerissimam in solitudinis, & contemplationis requie: plures etiam invenimus, qui ingentia crimina cum patrassent, profundis gemitibus suis replens Templum, modo junctas attollens manus, ut a Deo animarum peteret conversionem, modo illas in crucis modo expandens, nunc se terram prosternens, & Davidicum illud usurpans, *Adhæsit pavimento anima mea: vivifica me:* (*Psalm.* 118.) vivere nequeo nisi mihi concesseris animas, quas ab te peto. Per totum Quadragesimæ tempus jo aqua, & pane jejunabat; non carne, nec vino utebatur: semper nudis pedibus incedebat, nisi cum in publicum prodiret, ad ostentationem videlicet evitandam. Verbo, dicere poterat cum Apostolo: circumferimus J. C. mortificationem in corpore nostro, ut vitæ nostræ appareat sanctitas, & innocentia. *Ex meditationibus P. Neveu, & Sermonibus P. le Jeune Oratorii.*

Vim, quam obtinebant apud Deum S. Dominici preces.

Tanti apud Deum ponderis erant S. Dominici preces, ut omnium votorum fuorum consequeretur effectum, juxta illud Salvatoris ad discipulos suos verbum: Quidquid in nomine meo petieritis a Patre, dabit vobis; & verum est nonnunquam ex istius Sancti ore, auditum fuisse juxta eruditi nescio cujus Episcopi testimonium, ipsum, nunquam a Deo aliquid petiisse, quin voti damnaretur: *Numquid aliquid a Deo petii, quod non assequerer juxta votum?* Et profecto precum ejus potentiam videmus in hoc singulari facto. Cum enim quidam e familia sua eum oraret ut a Deo peteret, ut in Ordinem suum vellet insignem quemdam Doctorem compellere, idque Sanctus se petiturum promisisset: die crastina Doctor ille templum ingressus est, & enixe Sanctum nostrum oravit, ut ipsum in filiorum suorum album dignaretur admittere.

Vitæ austeritas mortificationis affectibus proderat.

Vitæ autem austeritas non solum eidem profuit ad Orationis praxim, verum etiam ad affectuum suorum mortificationem. Taliter eos subegerat, ut mortuus potius, quam mortificatus videretur. Multæ animi perturbationes caliginem effundere possunt nomini Concionatoris alicujus, & verbi divini fructum prohibere: sed mea quidem sententia præcipuæ sunt quatuor. Desiderium ad summos honores, & Ecclesiasticas dignitates ascendendi: nimis terrenorum bonorum amor; Desiderium eadem adquirendi ad Ordinem locupletandum; ira, & impatientia, & jactura temporis inanibus, ac periculosis conversationibus. Magnus hic Sanctus ab omni procul ambitione abhorruit; quonia m quinque deinceps recusavit Episcopatus, quos, ut acceptaret, urgebatur; gravissimo dolore contabuit, cum Summus Pontifex imperavit, ut miraculu ab eo Romæ facta evulgarentur. Sanctam pauperiatem ita adamavit, ut Ordinis sui domum, quæ pro Religiosis nimis magnifica videbatur, ad finem perduci noluerit. Adeo lenis, & patiens fuit, ut selle prorsus carere videretur; & patienter omnes Hæreticorum irrisiones, & contumelias sustineret: qua in re Moysi poterat comparari, & demum nullam unquam necessitudinem, aut consuetudinem habuit cum mulieribus. *Pater le Jeune Presbyter Oratorii.*

Virtus admirabilis apud S. Dominici.

Quis miretur post hæc, quod hujusmodi Concionator, cujus erat S. Dominicus, factus fuerit deinceps potens verbis, postquam fuerat potens operibus, & sanctis actionibus? Sed vehementer errant illi, qui inter qualitates sancto huic ministerio necessarias, nequaquam numerant sanctitatem illud exercentis, vel ad illud exercendum se se ultro ingerentis, cui Deus dirigere videtur ea verba, quæ olim protulit per Prophetam: *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* (*Psalm.* 49.) Salvator ipse nihil habebat, quod acrius objiceret inordinato Pharisæorum zelo, quam si exprobraret, ab illis nihil fieri eorum, quæ dicunt: *Dicunt, & non faciunt.* (*Matth.* 20.) Non vident in genus homines secretum, sed necessarium nexum, qui inter proprium, & alienum conversionem intercedit; & nunquam animum adverterunt ad illud constantissimum Filii Dei effatum; scias, opus est, facere, ut bene loqui scias: ac tandem hominem tunc potentem fieri verbis, cum factus fuerit operibus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Infignis est error non numerare sanctitatem inter conditiones necessarias Concionatorum.

Necesse erat Ecclesiæ celeri medicina in malis, quibus afflicta erat cum S. Dominicus in lucem venit.

Dominici zelus non in sola hæreticorum conversione se continuit, sed ad omnes peccatores se extendit. *Sicuti æstuabat caritate erga J. C. ita plenus erat tenera miseratione malorum, quæ patiebatur Ecclesia, non sine sancta indignatione adversus inimicos Dei, & populi sui. In Vitæ ejus historia legimus, nunquam auditum ex eo fuisse verbum, quod ad Deum glorificandum, eique animas lucrandas non tenderet. Erat lucerna ardens, & lucens:* lucens quidem ad mentes illustrandas; ardens vero ad fovendas voluntates. Fluebant sermones ejus unctione, ac secreta vi, cui nemo resistere poterat. Cum populis nunciaret verbum Evangelicum, facies ejus fulgere videbatur luminibus scientiæ suæ, & igne caritatis, qua anima ejus abunde erat ornata: & de S. Vincentio Ferrerio audimus futurum facilius ut hic Evangelii Præco pro Angelo, quam pro homine defumeretur. Audire ne vultis mirabilem singularis gratiæ, quam acceperat ad obtinatissimos peccatores revocandos effectum? Incidit in manus quingentorum improborum, qui omnem jam humanitatis sensum abjeceraut, & latronum fexcentis criminibus involutorum, qui in saltibus, montibusque quo feceserant videbantur haustile leonum, tygridumque lætitiam; sed divinus hic Prædicator tanta vi in illos invehitur, ut ferrea corda emolliatur, & non secus ac Moyles de rupibus illis eliciens lacrimas, effecit, ut nefarium vitæ genus execrarentur, & agerent pœnitentiam. *Ex Specimine Orationum Panegyricarum.*

Zelus illius ad omnes peccatores se extendit. Vis sermonum illius ad hos convertendos.

Dominici zelus nimis coarctatus intra Regni unius fines, cum impellit ad Hispaniam, Galliam, & Italiam peregrandam; tanquam mystica nubes in plurima, eaque diversa climata raptus, effudit ubique, ut olim Apostoli, pretiosum, ac faluberrimum rorem Sanguinis J. C., per copiam gratiarum, quibus illius prædicatio manabat. Ex inflammata nube hæc erumpebant fulgura micantia, cum explicabat veritates; terrebat peccatores, cum illis Evangelicas minas intentabat; prosternebat obdurata corda maledictis quæ in eadem contorquebat, cumque hoc pacto auditorum suorum corda commoviset, & dejecisset, tandem efficiebat, ut in lacrimas solverentur. Sed zelus ejus primum in illum ipsum egit, antequam ageret in alios: fidelis Salvatoris discipulus, qui facere incepit, quam docere. Castigabat corpus suum, & in servitutem redigebat, ne cum aliis prædicasset, ipse reprobus fieret. Vitæ ejus historicus ait, illum noctu exercere consuevisse, quod interdiu docuerat, & vitam suam in duplicem hanc partitum fuisse prædicationem, exempli videlicet, & verbi, quæ invicem mutuis firmantur subsidiis. Vettis illius, esca, domus, omnia in ipso evangelicam afflabant mortificationem, & dicere poterat cum S. Joanne Baptista, se nihil esse, nisi vocem, quia omnia in illo loquebantur, omnia in illo pœnitentiam prædicabant. In hoc prædicationis genere nolumus ipsos exercere debemus: reprobi tantum cum Caino dicunt:

Num-

Numquid custos fratris mei sum ego? (*Genes.* 4.) Sed omnes veri Christiani norunt hoc essentiale debitum in Ecclesiastico memoratum: *Unicuique mandavit Deus de proximo suo.* (*Eccl.* 17.) Quivis pro modulo suo proximi curam gerere debet. Deus habet prædicatores suos; sed mundus etiam, ac dæmon suos habent: hi impietatis placita effutiunt, & perflant ubique corruptionis, & mortis odorem, cum interim Dominicus a Deo missus eos conatur evertere, & super eos Dominicæ crucis vexillum attollere. *Ibidem.*

Non desunt hodierna etiam die Ministri zelotes in Ecclesia, sed quamcunque laudem labor, & zelus eorum mereatur, hic, audeo dicere, zelo Dominici palmam debet concedere. Ex quo divina Providentia illum in stadium emittit, ambulat, currit, volat; nulla eum deterret cautsa, dummodo sibi creditam administret provinciam; non injuriæ, quibus afficitur, non obices, qui occurrunt, non pericula, quæ nanciscitur. Convellit suis ipse manibus solium, quod inimicus homo in Patrisfamilias agro fevit. Inculta loca, spiritus agrestes, atque indociles, tenera sunt caritatis objecta exsiltimanti se infignem facere quæstum, ubi animam fuerit lucratus illi, qui nullam indignam censuit pretiosa sanguine, quem pro singulis effudit. Quam juvat intueri Dominicum una cum Præsule zeli ejusdem teste nudatis pedibus inter spinas incedere, & in asperis, dumosisque saltibus, quo ab improbo duce fuerat abductus, sperante, si illum itineris pertæsum fuisset, futurum, ut fructum collationis amitteret, in qua veritas triumphum relatura erat de blasphemiis hæreticorum, quorum partibus impius favebat! Quod spectaculum videre Dominicum ad victoriam per dumeta illa suo cruore rubentia properantem! *Quam pulcri sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* (*Ad Rom.* 10.) *Elogia historica.*

Præsidens caritas cujusdam summi Pontificis huic in spiritu videndum obtulit ingens periculum, quod imminebat Ecclesiæ, tunc cum S. Dominicus prodiit. Præsidit ministrorum ignorantiam, vitia pravorum Fidelium, hæreticorum vim, furoremque, christianorum fere omnium soporem, cujus ope inimicus homo manibus plenis lolium bonis frugibus super seminabat. Prædicationis ministerium, medium efficax, & permanens ad fidem & Religionem fulciendam tunc vel neglectum erat, vel intermissum. Christiani Principes inter se cruentis dilidebant præliis, quæ plerumque magis funesta sunt pietati, quam agris, qui igni, ferroque vastantur. Tunc temporis in lucem editus est Dominicus, non sine manifesto providentiæ consilio ad suscitandam fidem sopitam per insignia miracula, quæ operatus est; ad Christianum orbem replendum Concionatoribus zelo succensis, atque indefessis, quorum ipse caput fuit; ad dissipandas innumeras hæreticorum copias, quarum confudit errores, & furorem compescuit; ad eliciendum de cælo uberrimam gratiarum imbrem super fideles per peculiarem devotionem admirabilis illius Virginis, cujus manu gratias suas elargiri oblectatur Deus: verbo, ad arcendas ab Ecclesia Dei omnes illas tenebricosas nubes, quæ illi caliginem erant offusuræ, ornemque illius speciem deformaturæ. Igitur S. Dominicus fuit Prædicator extra ordinem a Deo missus, ut recens esset lumen in Ecclesia, ut accenderet alia, quæ jam extincta videbantur, & ut redderet vitam omnibus membris de domo Dei, quæ illam amisisse videbantur. *Abbas du Sarry.*

Modicum zelus plerorumque ministrorum Domini hodierno assi conferatur cum zelo S. Dominici.

S. Dominici missio miraculis fuit comprobata. Profecto, si diligenter attenditis, omnes qui ex veteri, novoque Testamento missi fuerunt ad populos convertendos, missionem suam signo aliquo probaverunt: hoc autem Divinitatis fignaculum in S. Dominico apparuit. Et sane aliane quæruntur argumenta præter trium mortuorum resurrectionem, quos Sanctus hic vir revocavit ad vitam? Miraculum certissimorum testium auctoritate confirmatum. Fuit procul dubio prædicationis genus ad persuadendum aptissimum illud S. Pauli, cum universo populo inspectante vitam reddidit adolescenti, qui de fastigio quodam procidens mortuus erat, dum Apostolus ille Dei Verbum prædicaret. Sed cur non licet mihi gloriosas alias similitudinis circumstantias, quæ mirari interfunt inter pueri resurrectionem, quem Dominicus matris mœstissimæ lacrimis restituit, & resurrectionem Lazari jam quatriduo putrescentis, quam Salvator piarum sororum Marthæ, & Mariæ lacrimis reddidit? Videretis Dominicum flentem, ac mortuo imperantem, ut surgat, ut olim fecit J. Christus. Resurrectio jamjam in sanguine suo per tragicum lapsum defuncti, vobis videretur æque mirabilis ac resurrectio Lazari quatriduo jam putrescentis in tumulo, & huic S. Dominici miraculo applicaretis, quod S. Augustinus dixit hoc insigni Salvatoris prodigio, hoc nempe extitisse argumentum Divinitatis, quod triumphare debebat de pertinacissima incredulitate, & quod ea in occasione superavit spem ipsam, quam fideles Apostolorum conceperat.

S. Dominici missionem miraculis comprobata.

In oratione & colloquiis cum Deo discebat S. Dominicus quomodo cum hominibus verba faceretur.

Cum Prædicator, proprie loquendo, non aliud sit, quam instrumentum, quo Deus utitur pro hominum conversione, & salute, cumque instrumentum nihil valeat per se, nisi conjunctum sit præcipuæ causæ, a qua applicatur, atque movetur; in colloquiis suis potissimum cum Deo didicit S. Dominicus, quo pacto cum hominibus loqueretur. Itaque ab oratione passim recedebat tanquam Moyles alter egrediens a colloquio, quod cum Dei Majestate habuerat, facie novo lumine renidente, cujus ardor, quo cor illius æstuabat, prodibat extrinsecus per ignea verba, ancipiti gladio, ut Apostolus loquitur, penetrabiliora. Ita ut in prædicationis fervore, veritates, quas populis annuntiabat, ex essent, quas in oratione fuerat meditatus: ita partiens tempus suum inter Deum, & homines, ab illo percipiens quod aliis dicturus erat, vel potius semper occupatus Deo dum loquebatur cum proximo, & vicissim occupatus proximo tunc cum loqueretur cum Deo; hunc rogans, ut se eruditet de iis, quæ vellet alios ab ipso edoceri. Profecto hujus viæ vir erat homo vocatus a Deo ad ministerium Verbi, cui sese dispoluerat per zelum non modo ordinatum, & cum scientia, atque necessaria doctrina conjunctum, verum etiam cum zelo generoso, & ab omni cupiditate vacuo, qui nihil aliud præter animarum salutem, & peccatorum conversionem respexit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Insegertius S. Dominici zelus.

S. Dominici zelus effecit, ut ille semper meræ caritatis impetu ageretur, redditque Verbum Dei potens in ore illius, quia vim defumebat a causa, a qua ille agebatur. Vir hic a terrenis rebus avulsus adeo alienus erat a sordido quæstu in hoc munere quærendo, ut nunquam nisi eleemosynis vivere voluerit, quas flexis genibus excipiebat ab iis, a quibus ultro sibi offerebantur; & antequam voluntariam pauperta tem profiteretur, statum Religionis ingressus, adeo parum afficiebatur fortunæ bonis, ad quæ sperandа genus suum ipsi editum aperiebat, ut strenue rejecerit locupletissimam hereditatem oblatam sibi, quæ laute in mundo vivendi copiam facere poterat. Ceterum proximi necessitatibus afficiebatur ita, ut in calamitate publica, libros etiam suos venditerit, ut pauperibus ferret opem; mallens minus scientiarum adipisci, quam deficere caritate. Veruntamen Deus superari nescius abunde supplevit defectui bibliothecæ efficientes, ut in Christianæ Caritatis exercitatione sublimiores, ac præstantiores cognitiones adquireret, quam sibi plurimorum annorum, ac excellentium librorum lectura con parare potuisset. Hinc factum est, ut cum ex eo quæreretur undenam tantam scientiæ, atque admirabilium cognitionum hausisset, responderet: *in libro Caritatis.* In hoc libro, qui studet, brevi sapiens evadit. Sed quodnam hujus inauditi, integerrimique zeli locupletius videri potest exemplum, quam intueri, ubi illi omnia bona sua pauperibus erogaverit seipsum dare, vel saltem se offerre? Obtulit enim se mulierculæ ploranti, atque petenti, ut sibi daret unde fratrem suum in Mauorum captivitatem lapsum redimeret; Obtulit, inquam, se in mancipium pro misero; seque beatum autumavit, si pro captivo illo libertatem, vitamque suam sibi liceret impendere. Heu! si eo usque processit zelus illius, ut miserum de corporis captivitate redimeret, quonam procedet, ut liberet tot miserrimos, quos peccatum in dæmonis servitutem assernit? *Idem.*

Quam longe distat zelus noster ab ardenti zelo S. Dominici! Non loquor autem de zelo fidelium generatim, qui nihil pati volunt propter Deum, & qui nihilominus omnia patiuntur pro Mundo; de illis loquor, qui Sacerdotio præditi sunt, & qui per status sui necessitatem Evangelium annunciare tenentur. Passim volunt quidem J. C. pauperitatem prædicare; sed vitæ hujus commodis, & rerum affluentia frui volunt. Quam S. Dominicus reipsa prædicabat paupertatem, omnia vitæ hujus incommoda tolerans; neque credens verbum obtinere posse effectum suum, nisi, uti Dei Filius, ab actionibus incepisset antequam a verbis oriretur. Plerique Operarii Evangelici non ignorant, sibi aliquod Ecclesiæ munus fubeundum esse; sed plerumque honor, qui cedit illis, & præmia sunt ministerii nostri objectum, & merces, dum S. Dominicus se omnibus debitorem esse ratus pro merce de ipsum habebat ministerium, quo de proximo bene mereba tur, & voluptas excelendæ vineæ Domini potissima erat laboris causa Sanctus hic vir in labore pœnam dumtaxat deposcebat sibi, non honorem. Quam jucundum spectaculum intueri hominem Apostolicum de urbe in urbem proficiscentem, in agris etiam pascere pauperes greges languentium propter Pastorum incuriam! Quæ contradictiones, qui labores in itineribus suis! Quam esuriem perpessas est in cursu missionum suarum? Obnoxius erat fami, sitì, persecutionibus, gladio. Uno eodemque tempore sibi cavebat a favore & furore; a laudibus & a contemptu. *Sermo Manuscriptus.*

Quam potens esset Dei verbum in ore Sapientis Dominici.

Quænam erat Verbi virtus in ore S. Dominici? Potestatem habebat in corda, ut ea permoveret, convinceret, ac tandem converteret. Si prædicat, nanciscitur animas dociles, a quibus cum reverentia auditur; divinumque semen recipitur in animabus suis, ubi fert fructum centuplum. Num rebelles ei invenit? Excitat zelum suum Moysis instar orationc: offert Omnipotenti Agnum sine macula, ut illum justitiæ suæ opponat, & hi lapides statim fiunt filii Abrahæ. Publicani, & meretrices fele offerebant Sancto huic viro, ut ab ipso pœnitentiæ regulas edocerentur. Si Sanctus disputat, clam fremet hæresis, neque audet prodire palam. Videt Dominicum quotidie sibi rapientem suos. Loquiturne de Cruce Salvatoris? quisque certatim illam gestare cupit in sinu suo, & manus magis delicatæ sibi honori vertunt illam deferre. Numquid par eventus laboribus vestris respondet, ministri Domini, qui eamdem terram excolitis, & eumdem pascitis gregem? Non quærimus hoc in loco vestram atterere gloriam, ut illam zelotis hujus Ministri amplificemus; non eget ille indirectis laudibus, ut ex aliorum collatione crescat. Sed cupimus, ut eventibus ita felicibus Deus labores ve-

BIBLIOTECA CENTRAL

vestros prosequatur; ut vestra augeat talenta, ut inflammet corda vestra igne amoris sui, semper vobis erit laudi, & honori palmam concedere ardenti huic Concionatori, non secus ac discipulos Magistro suo. *Idem.*

Sanctus Dominicus se mercede suo digium ac te gabat; quam illi partem piu rimi qui in eodem mu nere excel lunt; oppo situm fa ciunt.

Persuasum erat S. Dominico ad tantum hoc ministerium pro dignitate obeundum alias qualitates requiri ab iis, quas piisim afferunt, qui seipsos illi destinent, & quis nominis celebritatem, & gloriam aucupantes, putant sese ad illud satis disponere, ingeniem excolendo, legendos libros, ex quibus se magnam relaturos opem sibi pollicentur, assidue illos audiendo, qui præ ceteris celebrantur, sibi commentaria, & collectanea confarcinare, tanquam totidem arma, quibus instructi satis se fortes arbitrantur ad vitia omnia impugnanda, & qui felicem hujus ministerii exitum sibi demetiendum putant potius ex multitudine eorum, qui sequuntur illos, quam ex numero eorum, quos ipsi convertunt. Sicuti alios sibi fines proponit Dominicus, ita longe alia instituit via: admittitur ut se tanto munere dignum prius, quam eidem patrem efficiat. Hæc enim duo longe distentiunt; quorum alterum non negligit, alterum vero negotium sum curat; & re adhuc integra antequam illi horrorem injiciat placitorum Mundi, illius corruptionem cane pejus, & angue evitat, & Dei cultui devovet, quidquid opis a natura donatum fuit, volens omnes perpeti labores, & omnia incommoda tantæ huic dejectioni inhærentia, dummodo digne obire valeat Apostolatus sui munera, & lucrari animas Salvatori, a quo missus fuit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

S. hic mere tur gloriam digne enum ciari Verbi Dei præ a lis eluden temporis.

Recens noster Apostolus nonne aliis Ministris Evangelicis præripit palmam? Si S. Paulus de se vere quidem, sed huiciari aniliter dixit: *Abundantius omnibus laboravi*; licet nobis hanc eamdem laudem in S. Dominici ore collocare. Quis enim reipia posset cum hoc Sancto viro certare de zeli præexcellentia super alios Evangelii præcones, quandoquidem unus ille novissimis hisce temporibus glorioso hoc nomine connotatur, quia gloriosius nominis officium exercuit? Quis enim potiori jure, quam ille potest asserere id, quod dicebat Apostolus tanquam fundamentum laudis, quæ illi præ ceteris deferebatur: Plures passus sum contumelias, aliorum consuetudini memet accommodavi, memet ad spiritualem infantiam redigi, & laborem hunc adeo amarum, atque molestum sustinui? In laboribus Apostolicis S. Dominicus suum excitabat zelum, mente reputans S. Pauli cursus, jejunia, vigilias, pericula, & inde arripiebat occasionem sese humiliandi, ac respiciendi velati tyranculum, receus in stadium ingressum. Sed huic humiliationi comes accedebat novum animi robur, cujus ope oblitus, post id, quod jam fecerat pro J. Christo, & Evangelio recenti cum ardore in susceptum curriculum revertebatur. Messis quidem multa est, Domine, Operarii autem pauci, præsertim vero qui ea virtute præditi, qua S. Dominicus, Excita ignem eumdem in corde Ministrorum tuorum, effunde in illud spiritum hujus Sancti tui, ut ager Ecclesiæ tuæ novos afferat fructus. *Ex Manuscripto Sermone.*

S. Dominicus fuit per fectus Præ dicator; quia infinem sciendi cum excel lenti virtu te confun dit.

Cum Deus daturus est eximium aliquem Ecclesiæ suæ Conclonatorem; in anima sua sciendiam cum gratia conjungit, ut possit mentes illustrare, fovere voluntates, & peccatores convertere. Verum enim est, magnum hunc virum a vo suo, sciatisse veritatis amorem qui sopitus esse videbatur. Primus fuit, qui ignorantiam exterminare conaretur; noverat enim illam esse peccati fontem. Primus publice docuit Theologiam, huic scientiarum reginæ discipulos comparavit, Fidelibus affluxit amorem eosque educens de vana, & periculosa Philosophiæ cogitatione extulit ad veræ sapientiæ cognitionem. Propter hunc, filiosque ejus Summi Pontifices Sac. Palatii Magistrum crearunt; hic fuit, qui, cum satis non esse censuisset veritatem didicisse, eam ad omnes filios suos traduxit, eosque cogit, ut nisi a Patre suo abdicari vellent, fe doctos profiterentur. Cum vero scientia hac gratia perfectum Prædicatorem nequeat efficere; Dei Filius utramque ita large effudeque S. Dominico impertiit, ut difficile dictu sit, utrum Dominicus sanctior extiterit, an doctior, religiosior, an eloquentior. Dicendum sane est collationes, & prædicationes illius & eruditas, & sanctas fuisse; quoniam brevi tantum hæreticorum numerum convertit, & iatra septennium potissimum Albigensium partem redegit ad Fidem. *P. Senault Oratorii Presbyter.*

Deplorabilis status quo hæreticis & vitium Christianam Religionem redegerat, antequam S. Dominicus incipe ret prædicare.

Cum incidit sermo de zelo S. Dominici, videre mihi videor miseram statum, in quo versabatur Ecclesia, cum ille ad opem huic ferendam accessit. Gloria, & decor, quem ex Apostolorum sanctitate, & Martyrum sanguine adepta fuerat, jam obliteratus evanuerat. Duo potissimum gloriæ ipsius labem offuderant. Christianorum vitia usque in Sanctuarium pervaserant, ac Sacerdotum illius ,sanctitatem polluerant. Altera vero ex parte, Albigensium hæresis Galliæ partem corruperat. Quinam tunc fuerunt Dominici sensus teterrimum hoc spectaculum intuentis? Quinam extitit zelus illius cernentis everfas aras, templa diruta, Ecclesiam afflictam? Quinam dolor animam ejus pervasit ad tot malorum conspectum? Sed quænam simul indignatio contra tot scelerum, & flagitiorum auctores? S. Chrysostomus inquit, se optasse videre zelum, & amorem S. Pauli. Quam pulcrum esset etiam videre quonam ardore, & zelo Dominicus conionabatur, & fuum munus obibat! Videremus procul dubio in corde novi Prædicatoris succensi zelo gloriæ Dei, imaginem cordis S. Pauli, cum iniit consilium totius terrarum orbis convertendi: in eo videremus suspiria, timorem, sollicitudines, curas, animum paratum ad omnia pro J. C. gloria fuscipienda, & perferenda; videremus cordis illius desideria eadem esse, ac illa, quæ fovebat Apostolus? *Ego autem impendar, & superimpendar. (adCor. c. 12.)* Quid patiurne Salvatoris tunicam ita dilcindi; Templique ipsius pollui sanctitatem? Nequaquam: ultro me morti obficiam pro illa tuenda: labores, vigiliæque meæ satis non sunt, aliquid præterea requiritur. Magnum nimis malum est; violenta remedia sunt adhibenda: *Superimpendar.* Prædicationes meæ, cursusque Apostolici, nihil sunt, vitam ipsam impendam. Verum quonam zelo correptus noster novitius Prædicator concionabatur? Quam vim, & sapientiam sermonibus ejus inferebat Spiritus Dei, qui per os illius prædicabat? Noverat ad unguem ille non satis esse edocere, & verbum solum per se non satis esse validum ad persuadendum, ideoque assiciebat exemplum; & morum sanctitas non solum sermonibus illius auctoritatem conciliabat; sed novum erat argumentum ad persuadendum, atque probandum. Hinc plures, qui verbis ejusdem restiterant, cedebant exemplis; præ ceteris nobilis quædam mulier, quæ horum recentium Sectariorum partibus favebat, & apud quam per integram Quadragesimam permanserat, adeo commota fuit vitæ illius sanctissimæ exemplo, ut tandem sese converterit.

Labores, & perfecutiones quas S. hic in prædicationis ministerio fuerit paſſus.

Ex ardore S. Dominici facilis est conjectura, quos ille perpessus fuerit labores, quot mala ipsi zelus suus conflaverit, & quem fructum ab eo expectare debeat Ecclesia. Hic caritatem fere extinctam in corde Christianorum excitavit. Atrocissimæ injuriæ illum deterrere non valuerunt; summa cum animi tranquillitate passus est, ut undique nomini suo offeceretur. Nequaquam perterrent minis, quæ ipsi intentantur, neque insidiis, quæ illi nectuntur. Quinque nunciaretur illi, hæreticos, & facinorosos homines vitæ suæ interitum moliri, tunc prodebat zeli sui ardorem martyrio se coronari desiderans; cumque aliquando insidias sibi positas nescio quo miraculo evitasset, quidam ex latronibus, qui illum præstolabantur, cum jam converti ab eo percontati fuissent, quid ipse fecisset, si in illorum manus incidisset; sanctus vir illis reddidit, vos obsecratus fuissem, ut mihi nequaquam parceretis, sed potius lentam, crudelemque mortem mihi infligeretis, me in frusta comminueretis, ac noviffime oculos evelleretis mihi, postquam omnibus cruciatibus, quos furor vobis suggessisset, vapulassem. S. Dominicus reliquo vitæ suæ spatio concupivit occasionem sibi præreptam semel ad majorem Dei sui gloriam sacrificandi. Sed nihil illi fuerat præreptum, quandoquidem Sancti Prædicatorum sudores sanguini Martyrum comparantur, & hic tot sibi occurrunt hinc inde fugularia bona, ut hæreat aliquando, utrum sit præferendum. Si minus tibi contigit honor sanguinem tuum effundendi pro illo, qui prior illum effudit pro te, quod non minus gloriosum est tibi, applicuisti fructum sanguinis Dei decies centeis hominum millibus; si minus tuam impenditi vitam, quod vehementissime optabas eam tamen fexcentis in laboribus, & toridem periculis mortis attriviati pro animabus, pro quibus Dei Filius effudit suam; si tibi non statim aperuisti cælum eodem ferro, quod dierum tuorum tamen fecisset, non minima fuit tibi merces alios ante te, & post te illac immisisse. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Quonam fuerit causa zeli S. Dominici; videlicet hæreticus ad quem redicta erat Religio?

Ut vobis apertius significem, quodnam fuerit principium zeli S. Dominici, memento adirabilis illius vitionis, quam habuit, cum ipso in Ecclesia S. Petri Romæ ad aras procumbeate, Deus elevavit illum in spiritu eique deplorabilem Ecclesiæ suæ statum ostendit. Vidit ille fidem semimortuam in fidelium cordibus, mortuam caritatem, antiquatam pietatem. Vidit impietatem regnare in moribus Christianorum; cognovit palam, salutis, æternorumque bonorum contemptum ubique ferme graffari: libidinem, otium, fuscitam potitas esse statu Ecclesiastico, & inter cetera mala foporem esse tantum, ut nemo ferme de medicina adhibenda sollicitus esset: quapropter intellexit prope esse ut Dei furor in ultionem erumperet. Vidit Dei Filium solio insidentem, & jamjam contorquentem in ira sua tela tria, quibus universum terrarum orbem erat perditurus; cum beatissima Virgo coram Filio suo provoluta illum per maternæ obtestata est ubera, ut misereri vellet animarum, quas ipse suo cruore redemerat, obtulitque Deo S. Dominicum, affirmans hunc virum divina gratia adjutum, facturum brevi mundum prorsus alium, & novum: videlicet Ecclesiæ faciem mutaturum, & ad pœnitentiam peccatores redacturum. Salvator tunc respicions Dominicum non sine oblectatione, visus est illi proferre ea verba, quæ apud Isaiam Prophetam leguntur. *Servus meus es, & elegi te in populi &c. (Isai. 49.)* Hæc admirabilis visio, hæc Filii Dei verba, hunc quidem in S. Dominici corde zelum incomparabilem genuerunt, videlicet ardentem erga Deum, & proximum caritatem, inde vero sanctam iracundiam contra omnes Dei inimicos, & contra omnia, quæ gloriæ Dei ipsius adversabantur. Visio hæc magnum ignem illum accendit, quo Sanctus hic vir mundum universum inflammavit, ita ut de illo dici queat id quod de Elia Prophetæ refert Scriptura: *Surrexit Elias, quasi ignis, & verbum illius quasi facula ardebat. (Eccli. 48 5.)* Cumque Dei verba sint efficacia, actus idem quo Salvator accipere dignatus est Sanctum noftrum in ministrum sibi ad Sanctissimæ Virginis preces, repente communicavit sapientiam, sanctitatem,

rum conversio non exstitit solum zeli hujus Sancti objectum, amplexus est præterea omnia caritatis onera.

tem, & potentiam necessariam ad omnia status adeo sublimis munera pro dignitate obeunda. *P. Texier.*

Effectus zeli sui vitæ ipsius exemplo sufflatus contra hæreticos.

S. Dominicus extitit homo ille præter ordinem fuscitatus a Deo, ut tueretur, ac sustineret Sanctuarium tumultuaria congerie novorum dogmatistarum, qui in Ecclesiæ interitum conjuraverant, si res ipsis cessisset e sententia. Hic Sanctæ vitæ exemplum cum generoso, & minime cupido zelo confocians mentes jam deceptas fucatis Valdensium virtutibus ab errore revocavit, & per scientiam, quam ipse adeptus fuerat, & lumina, quæ cælitus acceperat, novit fecernere, ac dispare magnum illum Chaos errorum, qui ex Manichæorum secta ad Albigensium traducti fuideque misceurent universa. Summæ necessitatis erat, ut vir iste potens esset sermone, ut redargueret homines pertinaces, & erroribus suis mordicus inhærentes. Quæ lumina ob eorum oculos nitescere facit per septennium, quo cum illis pugnatum est, illorum urbes lustrans, & oppida, modo illos palam refellens, modo illos seorsim perfuadens. Hic oblatum subit certamen, accersitus ut in ordinata disputatione veritati lucem afferret, ibi scriptis eorum diluit argumenta. Non loquar hoc in loco de acceptatione illius spectaculi, quo ventum est usque ad ignis periculum propositum in testimonium veritatis Fidei, quam asserebat: dicere satis est, Deo probante S. Dominici zelum per frequentia, quæ operabatur, miracula, Sanctum hunc verborum suorum vi plures convertisse hæreticos, quam Principes Cruce signati ad inhibendum horum errorum cursum, suis copiis deleverint. *Idem.*

Ipsa dem argumenti.

Dominicus probante Summo quodam Pontifice sacram prædicans militiam adversus Sectam hanc, excitat generosum bellatorem ad arma capessenda, & cum brevi equitum, militumque Christianorum manu procedit contra exercitum, in quo ultra verfabantur centum hæreticorum millia, a quibus in Occitania provincia constituta fuerat rebellionis sedes, ac fuæ impotentiæ theatrum. Eorum agmina intuens partim per fugam dilapsa, partim cæsa gladiis, partim in captivitatem abducta ad noftri S. Victoris adventum; & immensum agrum dignum offerre sacrificium Deo exercituum. Domine, quomodonam vir unus vincere potuit mille, & exigua militum manus in fugam dare agmina, quæ numero cum arena maris poterant comparari, ut loquitur Scriptura, nisi quod invisibilis pugnabas pro illis, qui causam tuam tutabantur? *Specimen Orationum Panegyricarum.*

Narratio victoriæ per S. Dominici preces relatæ.

Celeberrima ea in occasione visa sunt duo portenta æque admirabilia, alterum quidem bellicæ Virtutis in strenuo viro Montfortio, qui cum parva militum manu centum millia millia delevit non sine manifesto subsidio Dei exercituum; alterum autem non minus admirabile S. Dominici, qui solus oppugnavit, confudit, superavit, & convertit adhuc plures sis, quos cruentus ille abstulit dies. Dicere possumus ea in occasione, alterum quidem fuisse Josue, qui inimicos divini nominis delevit, alterum vero Moysem, qui manus attollebat in cælum, dum armis confligeretur. Hic Principes ad bellum inferendum excivit; hic de prælii exitu se vadem constituit; hic milites excitavit ad pugnam, & ita illi, quos rationibus, & exemplis Sanctus hic non potuit convertere, precibus ejusdem fuere deleti. Itaque Dominicus æque fuit potens operibus, & verbis seu prædicet, seu oret, seu ad Domini cauisam tuendam hortetur: zelo hujus accepta referre debet Ecclesia cladem hydræ hujus, quæ per intervalla renasci videbatur, & cujus integra victoria propric triumphus est Verbi Dei in ore admirabilis hujus Prædicatoris. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Victoria adeo manifeste relata Omnipotentis ope confudit quidem Albigenses, sed tunc non convertit. Rex Aragonius, qui his centum millibus præerat, & excidium fuerat minatus Regno C. J., profecto voti reus factus fuisset, nisi Salvator idem fuisset pollicitus futurum, ut portæ inferi nunquam prævaleant contra Ecclesiam suam; & nisi in Simone Montfortio novum excitasset Josue ad Amalecitas cædendos, & in S. Dominico novum Moysem, qui altera quidem manu crucifixum gerens, altera autem Rosarium, redegerunt in pulverem fastum exercitus numeris carentis inimicorum Dei. Ita Gedeon electi populi imperator Madianitas fregit, & de illis absolutissimam omnibus numeris victoriam reportavit cum parva militum manu. Tua tunc agebatur gloria, Domine; ille proprie tuus erat gladius, quem Gedeoni commiseras: *Gladius Domini, Gladius Gedeonis.* Tuus quoque erat Simonis Montfortii gladius, tu illum in manu ejus collocaveras, ut Ecclesiæ tuæ hostes persequeretur. Gloria Fidei tuæ, quam Dominicus servus tuus tutabatur, erat gloria tua, & sicuti nunquam melius potentiam tuam manifestas, quam cum insperatis eventibus uteris iis, quæ sunt infirmiora, ut quæ fortissima sunt humilies, atque profternas, ita illo tempore oblectatus es facere misericordiam, & infirmis opem afferre. Quam magnus es Domine! quot insignibus monumentis ostendis virtutem eorum, quos ad sacrum verbi tui ministerium evocas, tunc cum contemptibiles videntur, & ille ipsos indignissimos arbitrantur! Quam magnus est Dominicus gratia tua! quinam gloriæ tuæ splendor in illo refulget! Verbi tui veritas summo cum honore tractata fuit a dignissimo hoc illius Ministro: ita illam in praxim redegerat per gratiam tuam, antequam illam per universum terrarum orbem promulgare adniteretur. *Elogia Historica.*

Animadversiones in hanc victoriam & elogium S. Dominici tunc temporis pertam.

Cultus Beatæ Virginis ex unum ex validissimis mediis, quibus hic Sanctus usus est ad gentes con vertendas.

Unum ex potentissimis mediis, quibus S. Dominicus usus est, ut omnem terrarum orbem ad veritatis cognitionem adduceret, vel saltem illum in ea confirmaret, fuit cultus Matris Dei, quia illa rivus est, per quem Deus omnes suas gratias, & lumina effundit. Ad hunc autem cultum constituendum fontem omnium benedictionum, & fructus, quem referebat ex concionibus suis magnus hic Sanctus, nihil magis contulit, quam Rosarii devotio, cujus ille primus Auctor extitit: devotio, cujus fructus manet adhuc, & cum Ecclesia manebit. Sciebat ille per Sanctam Virginem iter patere ad Deum, atque ad illam confugit, ut ad eum mundum universum pertraheret. Profecto si non alium labarum suorum fructum percepisset nisi devotionis hujus sanctissimæ institutionem generatim ab universa Ecclesia receptam, hæc certe semper plurimum illi deberet, eo quod hoc pacto peperisset Deo tantam animarum multitudinem, ac inter ceteras duos potentissimos Reges, alterum quidem Legionis, alterum vero Galiciæ, atque unum ex Sanctissimis Regibus dedisset Galliæ, ad Blancæ Reginæ preces, quæ hac de causa semet ad Rosarium

Hæretici.

Sanctus Dominicus zelum suum nequaquam ad hæretico-

farium recitand m adstrinxit, ut Sanctissimæ Virginis ope Filium obtineret. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Generalis idea fructus, quem S. Dominicus peperit Ecclesiæ.

Quis fando assequi posset fructum, quem S. Dominicus ex suis laboribus hausit? Restituit Sacramentorum usum, Ecclesiasticorum jejuniorum observantiam, quorum jam jam consuetudo perierat; Ecclesias, Templa, & aras jam dirutas, & eversas instauravit. Et sicuti in omnibus regionibus, ubi hæresis sedem fixerat, ibi molestas reliquit reliquias, tabidum frumentum, & corruptionis colluviem, quæ brevi suam efflasset improbitatem: iterum initium desumendum fuit ad illos in primis fidei rudimentis edocendos, & confirmandos in fide, quam a suis patribus receperant. In hoc opere sanctissimo Ecclesiæque perutili, Sanctus hic vir visus est potens opere, non secus ac exemplo, quoniam Deus Missionem illius quamplurimis probabat miraculis, ac inter cetera mortui tres variis in occasionibus suscitati tantam vim compararunt Verbo Dei, quod prædicabat, ut hoc fuerit argumentum ad fidem adhibendam omnibus illis veritatibus, quas annuntiabat, atque inde justissima hæc illatio hauriebatur: Hiccine vir adeo potens verbis, & operibus aliud ne posset annuntiare, quam veritatem? Et Deus verba illius miraculis comprobaret adeo insignibus, nisi ille Dei verbis, & nomine loqueretur? Hac mente ille ordinem instituit suum, cujus finis, & munus est prædicare Dei Verbum, qui quidem rivus est, per quem veritates ingrediuntur in animum, & sine quo mundus quamprimum in tenebras priores reverteretur, ex quibus illum divina eduxit prædicatio, & brevi non agnosceret amplius vias salutis quas nonnisi per illud verbum didicit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Vere dicere possumus, insignem fructum, quem S. Dominicus attulit Ecclesiæ extitisse, quodammodo facere, ut facies mutaretur, eradicando vitia, & scelera, & omnes adducendo ad vitæ genus sanctioris. Profecto si uno ex hoc loco dumtaxat commendabilis esset S. iste, dici semper posset egregium eorum exemplar, quos Deus ad hoc munus appellat; quoniam peccatoris conversio, vitæ mutatio, caritatis progressus ac christianæ perfectionis accessio sunt fructus, quem Verbi Minister sibi ante cetera debet proponere. Sed quis narrare posset fructum, quem hac in re protulit S. Dominicus eo sæculo, quo per caritatis teporem fere generalis ista corruptio omnia longe, lateque vastaverat? Dicere audeo, opus fuisse, ut S. hic vir prorsus novum institueret Christianismum, quandoquidem ne minimum quidem supererat vestigium illius, qui in primæva vigebat Ecclesia: eos enim numerare, quos ad vitam mutandam adegit, & in quorum corde accendit Caritatis ignem, quem Deus in terram adportaverat; hoc Deo uni compertum est. *Idem.*

Sancti hujus miracula multum ad Populorum conversionem profuerunt.

Quod S. Dominicus fortiter Fideles persuaserit, & hæreticos convicerit, nemo unus dubitat; quoniam adjecit miraculorum splendorem, bonorum operum Sanctitati & veritatem potentia fulciens mortem ipsam coegit, ut Evangelicæ veritati testimonium perhiberet. Nimis magnificum est miraculum, ita ut non sit prætermittendum; & quoniam magnam habet similitudinem cum eo quod olim Salvator operatus est in Judæa, utriusque circumstantiæ sunt conferendæ. Ille in quo contigit ejusdem erat conditionis, & in eodem ætatis flore, quo Lazarus: Mors quidem illius non fuit naturalis, sed ejus violentia miraculo famam adjecit. Cum adolescens hic paullo vehementius igneum agitaret equum, cui insidebat, in terram dejectus, misere perit. Triste hoc muntium statim est perlatum ad avunculum qui erat sanctæ Ecclesiæ Cardinalis, cum quo tunc forte de rebus maximi momenti agebat S. Dominicus. Non minus miseratione affectum fuit Sancti hujus hominis cor, quam avunculi, & ille secutus caritatis motus, quæ in Sanctis non est iners, ut in ceteris vulgo festinus se eo contulit, ubi extinctum jacebat cadaver. Extulit tunc in Cælos oculos, & fusis aliquot lacrimis, emisit suspirium; mox vocem attollens, quemadmodum fecerat Salvator, juvenem surgere jussit. Surgit ad imperii vocem adolescens, ac per resurrectionem suam perhibet testimonium nihil esse impossibile hominibus, quibus Deus suam Sanctitatem, non secus ac potentiam impertiit. Miraculum hoc per urbem effusum cumulum addit triumphis Dominici, omnesque peccatores convertit, qui verbis, operibusque illius oculos, & aures obstruxerant. Poterat ne Dominus aliquid hoc præstantius efficere, quam mortem ipsam cogere, ut testimonium redderet verbo vitæ, quod annuntiabat? *P. Senault Oratorii Presbyter.*

Zelus inexplebilis S. Dominici suadet illi florentis Ordinis institutionem, ut illum perennet & post mortem suam immortalem relinquat.

Nihil replere potest inexplebilem S. Dominici zelum. Vellet habere corpora mille, totidem brachia, manus & vitas ad Dei gloriam, & animarum salutem impendendas. Vellet esse ubique, ut omnibus Dei inimicis resisteret. Vellet in mundo subsistere donec mundus staturus est, & quandiu Deus inimicos habebit ad eos conterendos. Hinc supplere cupiens potestati, quæ deerat ipsi, vitæ in ævum proferendæ, ut quamdam immensitatis, atque æternitatis tribueret speciem zelo suo, instituit religiosum Ordinem; cujus sublimis scientia cum eminenti Sanctitate conjuncta erat deinceps futura ornamentum & præsidium Ecclesiæ contra inimicos illius. Hic ille ordo est, qui per antonomasiam Ordo Prædicatorum appellatus, edidit Hyacinthos, Petros Martyres, Vincentios Ferrerios, Raymundos, & infinitum summorum virorum numerum, qui veluti Præcones Evangelici Dei Verbum in omnes terrarum partes nunciarunt; & qui armati virtute Sp. S. ubique omnes Ecclesiæ inimicos subverterunt, & confuderunt vitium, & impietatem. Etenim ubi visi sunt Concionatores S. Vincentio Ferrerio celebriores? Doctores Divo Thoma insigniores? Thaumaturgi S. Hyacintho admirabiliores? Verbi Incarnati, ac Deiparæ Panegyristæ B. Henrico Susone devotiores? quin singillatim verba faciamus de infinito numero virorum, scientia, & sanctitate illustrium, Pontificum, Cardinalium, Præsulum, ac Doctorum, qui totidem Ecclesiæ lumina extiterunt; *Pater Texier.*

Fructus uberrimus, quem S. hic Patriarcha retulit in omnibus terris.

Sanctus Patriarcha per Ordinem suum non solum Catholicam Religionem tutatus est in Gallia, in Hispania, in Italia, Germania, Polonia; verum etiam Tartaros ad fidem vocavit, & in conversione Indiarum Orientalium æque ac Occidentalium se exercuit. Neque magno huic Sancto satis fuit Ecclesiam fulcire, ut nuper dictum est, per Ordinis institutionem, quem Collegium Apostolicum possumus appellare, verum illam auxit Cœtu Virginum dicatarum amori Salvatoris, quæ glorioso sacrificio sublimi huic statui sese devoverunt. Oculos circumferte ad extremas usque terrarum plagas; numerate si licet, omnes aras extructas, cruces omnes positas, omnia Templa in terris Infidelium ædificata; recensete, si vobis lubet, Martyres Sancti hujus Ordinis, qui pro fide mortem subierunt, & qui morientes alios ad Martyrium excitarunt: tot virginum millia, quæ sancte inter Sancti Dominici, & Sanctæ Catharinæ Senensis claustra vitam duxerunt; verbo, numerate, si potestis, omnia opera curis, ac laboribus Sanctæ hujus Religionis facta, & facienda, & dicite, hos esse fructus hujus arboris benedictionis, & omnes hosce rivulos ad fontem suum esse reducendos, nempe ad Sanctum Dominicum. Etenim Sanctus hic Patriarcha quotidie adhuc operatur per manus suorum filiorum; quos animat spiritu suo, eosque suis exemplis inflammat. *Idem.*

Quomodo & in quo Sanctū hunc imitari debeamus.

Cum S. Dominicus sit in exemplum propositum non filiis ejus dumtaxat, sed fidelibus omnibus, nobis adnitendum est, ut imitemur eum, nosmet ut illum potentes in operibus, & verbis efficiendo. Deus non omnes ad munus prædicationis evocat; sed si minus convertere nobis negatur hæreticos, & infideles sermonibus nostris, possumus tamen cooperari ad conversionem eorum vitæ nostræ exemplo; audeo enim dicere, hominem frugi, & cujus vita aliis est exemplo in civitate; hunc esse Concionatorem potentem operibus, si minus est verbis, & ajo etiam, illius pietatem, ac patientiam in adversis, ejus eleemosynas, & largitates esse eloquentes Sermones, qui evincunt, persuadent, majoremque faciunt impressionem in spiritu, & corde, quam omnia verba, omnesque prædicationes. Hoc pacto quisque, Sanctus Ambrosius ait, esse potest Apostolus domi suæ, & in sua familia; hac ratione omnes potestis fieri particeps meritorum Apostolorum, & Prædicatorum, qui, ut inquit Scriptura, peculiari gloria in Cælis refulgebunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

PRO

PRO SANCTI BERNARDI ALIQUOT ABBATIARUM FUNDATORIS PANEGYRICO.

MONITUM.

Tot ac tam mirabilia dici possunt de incomparabili S. Bernardo, ut ad illius elogium texendum, eademque in lucem proferenda non minor quam illius eloquentia requiratur. Profecto arduum est insignis hujus viri encomium contexere, tum propter multitudinem virtutum, & heroicarum actionum illius, tam propter singulare cujuslibet meritum, quæ omnia unica oratione complecti, non minimi laboris est.

Quapropter in habendo delectu propositionis ad celebrandum elogium eximii istius Sancti primum cogitandum est, hunc duplici in statu vixisse, in quibus inter eos, qui majori sanctitate floruerunt, enituit. Primus quidem est Monachi, in quo præluxit exemplo illis omnibus, qui eo sæculo floruerunt. Secundus vero fuit hominis e solitudinis latebris educti, & gravissimis negotiis exerciti pro pace Ecclesiæ, & populorum, atque totius Christiani mundi salute. Ad hæc summa capita referri possunt ea omnia, quæ dici possunt in laudem Sancti hujus viri, qui in utroque vitæ suæ statu portenti, & miraculi loco habitus est. Ceterum modus sibi constans, & admirabilis, quo obiit varia duplicis hujus status officia, quæ sibi invicem adeo videntur opposita, suppeditabit morales sensus utiles, Religiosis quidem, ut ad altissimæ sanctitatis fastigium tendant, atque perveniant, sæcularibus vero, qui aliqua auctoritate præfulgent, ut semet sanctificent eo zelo, quem habere debent pro Ecclesiæ pace, & bono Religionis.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Sermonum hujus Argumenti Systemata.

Fecit mirabilia in vita sua. Eccli. 31.

I. Mirabimini fortasse Auditores, me audientes in ipso Elogio Sancti illius, cujus hodie celebritatem recolimus, hoc uti principio: quod enim in illo tam proprium, & tam admirabile est, ut per hoc illum secernere velimus ab aliis Sanctis, in quibus juxta Sacrorum librorum fidem voluit Deus mirabilis apparere: *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* (*Psalm.* 67.) Numquid hoc asseritur propter miracula, quæ in gratiam illius operatus est Deus? Verum quidem est, neminem neque plura, neque majora effecisse. Elementa norant vocem ejus; morbi præsentiam illius ferre non poterant, & mors ipsa eidem resistere non audebat. Tamen non ideo assero, illum *Mirabilia fecisse in vita sua.* Vita enim ipsius longe admirabilior est, quam ejus miracula, quorum fulgor perstringit oculos eorum, qui omnia spectant ex ea tantum parte, qua sensus afficiunt. Ipse olim de seipso dicebat, in vita sua monstruosum aliquod non deesse. *Clamat ad vos monstruosa vita mea*, & se esse quamdam veluti chimæram sæculi sui. *Ego enim quædam sum chimæra mei sæculi.* Traducamus in laudem illius verba, quibus utebantur, ut seipsum confunderet, & quod ille de se ipso testatus est cum altissimæ humilitatis sensu, hoc ipsi dicamus ad exprimendos sensus observantiæ, atque venerationis, quos erga ipsum fovere debemus. Nihil magis portento simile vita S. Bernardi; quorsum autem? Tria id persuadebunt: Pœnitentia, quam subiit, scientia, quam ostendit, auctoritas quam exercuit. Hæc utique tria portentum sapiunt in magni hujus hominis vita: *Clamat ad vos monstruosa vita mea.*

1. Pœnitentia, quam subiit; quia pœnitens fuit, quin peccator fuerit.

2. Scientia, quam ostendit; quia doctus fuit, quin studuerit.

3. Auctoritas, quam exercuit; quia omnia potuit in Ecclesia, quin habuerit characterem, cui Deus potentiam adnectit. En sermonibus hujus synopsim. *Pater Martineau.*

II. *Collaudabunt multi sapientiam ejus, & usque in sæculum non delebitur.* Ecclesiast. cap. 4. Fatendum est Deum, justum illum, ac fidelem remuneratorem virtutum servorum suorum, videri non sine quadam oblectationis specie alios aliis prætulisse, eos replendo uberioribus naturæ, & gratiæ muneribus, atque majori cum plausu, & fulgore ostentando. Hoc autem in glorioso S. Bernardo verissimum esse innotescit; quoniam tota Doctorum scientia, totus Apostolorum zelus, totus Martyrum fervor, tota Confessorum pietas, tota Virginum puritas, ac tota Justorum sanctitas pretiosum effecere cumulum gloriæ in Sancti hujus nominis ornamentum. Non igitur mirum esse debet, si in honorem illius canit Ecclesia: *Collaudabunt multi sapientiam ejus*; cum enim in se conjunxerit omnes Evangelicæ Justitiæ characteres, os unum satis non est ad diversa vitæ ipsius miracula celebranda; & omnia Sanctorum elogia in Panegyricam hujus Orationem ingredi oportet. In tanta igitur laudum copia nosmet coarctemus ad illum considerandum.

1. Tamquam firmum Ecclesiæ Patronum.

2. Tamquam severum mundi Censorem.

3. Tamquam Fidelem ducem ad perfectionem. *Ex Specimine Orationum Panegyricarum.*

III. *Dedit illi scientiam Sanctorum: honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius.* Sap. 10. Cum Deus præter ordinem ex misericordiæ suæ thesauris educit homines ad majorem Ecclesiæ suæ utilitatem, eosque profert in lucem tenebrarum, & caliginis tempore, ut sint Religionis Patroni, ac disciplinæ restauratores, eos divina replet scientia, ut ipsi aliis lumina sua valeant communicare. Adducit illos in maximam nominis celebritatem, propter quam ab hominibus in honore habentur, ut Verbo suo fiat accessio ponderis, & virtutis in ore illorum, & in eorum facta eas benedictiones effundit, per quas cognoscitur Deus esse actionum ipsorum principium, sicuti gloria sua finis est. Hæc Dei erga Sanctos suos providentia palam in S. Bernardo emicuit. Inter barbariem, & ignorantiam repletus fuit scientia salutis, cujus dogmata fideliter & secutus est, & aliis tradidit. Tempore agitationis, atque tumultus vidit se divina Providentia sublatum supra humanas Potestates cum jure censuræ, & correctionis in omnia regna. Denique gloriosi ejusdem labores excepti fuere eventibus adhuc præstantioribus, quibus factus fuit sæculi sui ornamentum, sæculis vero subsequentibus admiratio. Quippe

1. Repletus fuit Scientia Sanctorum; *Dedit illi scientiam Sanctorum.*

2. Indutus fuit decore, & auctoritate Dei: *Honestavit illum.*

3. Dei benedictio effusa est super opera ejus: *Et complevit labores illius. Flechier.*

Tu autem, o homo Dei! Ad Timoth. 6. Si in humanis famuli nobilitas desumitur a dignitate domini, cui famulatur, & a qualitate munerum, in quibus famulatur, haud ægre intelligitis aliquid esse magnum, & spectabile Regis vel Principis hominem esse, & vocari, quia nulli sunt Domini majores illis, quos Deus super ceterorum hominum capita sustulit. Ut igitur secundum hanc regulam feramus judicium de merito, & gloria Sancti Bernardi, qui a nobis habendus est tamquam *homo Dei*, quæso vos, ut serio consideretis hoc nomen, & elogium non minus mysticum, quam illustre, multifariam desumi posse ab illis, quos ipsi vocare consuevimus homines Principum, & Regum terræ. Primum illi homines Dei nuncupantur, quibus contigit ad illum pertinere, vel propius ad illum accedere, quia sese ejusdem famulatui dedicarunt. Hujusmodi sunt Ecclesiastici & Regulares destinati ad eum, qui ipsi debetur, cultum adhibendum, ideoque a ceteris vulgo hominibus distincti sunt, atque secreti. Secundo hoc appellantur nomine illi, qui Dei ipsius locum tenent, quemadmodum ille homo Principis dicitur, qui aliquo charactere auctoritatis, quo præfulget, eum repræsentat: & hoc in sensu Magistratus & illi omnes, qui aliquam legitimam potestatem receperunt, hoc nomine decorantur. Hic idem titulus postremo illis debetur, qui Regum sustinent auctoritatem, sicuti passim homines Regis appellantur, qui ad Regis Jura tuenda constituti sunt. Tribus hisce modis S. Bernardus hoc nomine hominis Dei per antonomasiam meritus est nuncupari eo tempore, quo, non alio magis, mundus indiguit opera Sancti, qui hoc insigniretur charactere. Fuit homo Dei, quia omnino se devovit cultui Dei in statu Religionis, quem etiam restauravit, & regularem disciplinam ad sublimem perfectionis apicem evexit. Mox Dei locum tenuit, nomine illius præcipiens, ac disponens, & exercens quasi supremam auctoritatem in Ecclesia, quatenus Minister, Procurator, Legatus Dei, ejusdem universa potentia suffultus, ut ubique Ordinem restitueret. Dei demum asseruit jura, gloriamque vindicavit impugnans hæreses, vitia, & ævi sui scelera immunia. Igitur Sanctum hunc considerabimus. IV.

1. In Cœnobio tamquam mortuum mundo, ut Deo tantum viveret, eique soli famularetur.

2. In Ecclesia, ubi de rebus maximis decernit ea cum auctoritate, qua ab uno tantum Deo poterat proficisci.

3. In mundo erroribus, vitiis, & licentia corrupto, ubi intuebimur illum oppugnare, & expugnare inimicos Dei. Hoc erit elogii ipsius argumentum, & sermonis partitio. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Omnibus omnia factus sum, 1. ad Corinth. cap. 9. Hic mos V.

BIBLIOTECA CENTRAL